



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

77. An sit sufficiens motivum dispensandi, seu laxandi in hoc jus, etiam dum illud est iustitiæ distributivæ, in conferendo uni plura beneficia, quòd is habeat parentes, fratres, nepotes ex fratre & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

Hurt. ut prober causam sufficientem multiplicandi in aliquo beneficia, esse, quod sit filius vel frater alicujus bene meriti de Ecclesia vel populo; quod ipsum ait doceri à Navar. *Miscellan.* 44. n. 80. Adeo que jam splendidior sustentatio alicujus, jam ante evecti ad statum illustriorem, non verò per ipsam collationem plurium illorum beneficiorum ad illum evecti, videtur esse causa sufficiens laxandi jus naturale conferendo plura uni. Monet tamen idem Hurt. cavendum esse illam nimiam in tali nepote Pontificis coacervationem beneficiorum, & tot solum conferenda, quor dictaverit prudens judicium à sanguine proprio nò excoactum.

Questio 75. An sola Cardinalitia dignitas sit justa causa, ob quam Cardinali plura beneficia conferantur?

Respondeo affirmativè: idque multò magis quam regis filio, utpote, ut in eadem *extray.* illos pariter ac prius excipiendo, ait Papa idem, qui circa Papam, & in hoc universali Ecclesiæ serviendo singularum Ecclesiæ commoditatibus se impendunt; ac cum Cardinalatus sit præcipua dignitas in Ecclesiâ, conveniens est, ut reditus status sui, vitæque conditioni congruentes habeat. Azor. *cit.* c. 12. q. 5. ubi etiam, quod insuper accedere possint ad dignitatem Cardinalitiam aliæ causæ justæ, ut si sit regis vel principis filius, frater, nepos, si sit insignis literaturæ, industria, virtutis.

Questio 76. An sit sufficiens causa conferendi alicui plura beneficia, vel dispensandi, ut plura ei conferantur, nempe ab alio inferiore collatore, ut eorum fructus largius in pauperes erogentur, v. g. dum scitur illos eorum fructus impensurum in pauperes, aliove pios usus, retentis sibi solum necessariis ad decentem sustentationem?

Respondent affirmativè Hurt. *loc. cit.* l. 6. *resol.* 6. *subresol.* 1. citans Cardin. in *clem. gratia. de rescrip.* in 12. C. de Lugoto, l. de *justi. d.* 4. s. 4. n. 58. Filiuc. *tr.* 41. c. 7. n. 57. quibus accedit Nav. *tr. de orat. Miscell.* 65. citatus ab Azor. p. 2. l. 6. c. 22. q. 3. ubi justam arbitratur causam, ut jus relaxetur in eo, ut plura ei conferantur, qui fructus beneficiorum in pios usus impendit; quamvis in *Man. ca.* 25. n. 128. censet intentionem illam provisi jam pluribus talibus beneficiis, & verâ ejus executionem esse causam justam, ut ea plura jam antè obteuta retineat (pro quo etiam solo citatur ab Hurt. *loc. cit.* num. 2. ubi etiam is dicit, videri hoc ipsum approbati à S. Tho. *quodlib.* 9. a. 15. dum ibi reprobatur contrariam intentionem, habendi nimirum plura tantum ad majorem splendorem victus, vestium, famulorum &c.) non tamen ut denuo plura ei conferantur, & ab eo recipiantur, prout refertur ab Azor. His tamen contrarium, seu negativam tenet ipse Azor. *loc. cit.* cum Abb. & pluribus aliis; quibus, ut ait Azor, meritò hæc causa minimè probatur; eò quod & alii sint clerici, qui beneficiorum illorum fructus in bonos usus infunderent. Quin etiam, quod addo, quod etiam sit pius, si non magis pius usus, dum ea beneficia plura in plures divisa eorum fructus toti ab iis indecentem sui sustentationem absumuntur, reddendo interim deo horarum preces & sacrificia, quod alii pauperes, saltem ex obligatione, non facient. Quod

si tamen nulli extarent clerici, qui eos fructus piè erogent, subest causa, cur iis plura conferantur; non quia iis, quibus ea conferuntur, utiliter fructus infundant; sed quia desunt clerici idonei, ut in provinciis, ubi hæretici dominantur, qui fructus beneficiorum sibi sumunt ac devorant. Azor. *loc. cit.*

Questio 77. An sit sufficiens motivum dispensandi, seu laxandi in hoc jus, etiam dum illud est justitia distributiva, in conferendo uni plura beneficia, quod is habeat parentes, fratres, nepotes ex fratre vel sorore indigentes, vel etiam amicum, cui multa debet?

1. Respondeo ad primum affirmativè: ita expressè Navar. *Miscell.* 17. nu. 76. & *Miscellan.* 44. n. 76. ubi: Papa post concilium dispensare potest, ut quis habeat plura beneficia, quorum unum ei sufficit, eò quod habeat parètes, fratres, uxores, nepotes, vel alios cognatos pauperes, quos eum oportet alere, collocare, vel in aliquam viam salutis æternæ dirigere &c. sequitur Hurt. *loc. cit.* *subresol.* 2. n. 1. Azor. *cit.* c. 12. 44. ut enim beneficium dicatur sufficiens, debet ex ejus fructibus posse sumere, quæ sibi & suis necessaria, adeo que eo ipso, quod clericus habeat parentes, fratres &c. egentes; beneficium, quod aliis ei soli esset sufficiens, dici non potest sufficiens, Azor. *ibid.* & patet ex dictis supra ex eodem Azor. & Castrop. aliisque, dum tales pertinent ad familiam beneficiati.

2. Respondet quoque ad alterum; nimirum de habente talem amicum, affirmativè Hurt. *loc. cit.* n. 3. & *subresol.* 4. n. 4. in specie ait: existimo, quod sufficiens motivum relaxandi in hoc jus naturale sit, quod Papa amico suo ante Papatum collata in se ab eo beneficia compenset, & gratum se ostendat.

Questio 78. An ipsa Papa liberalitas sit sufficiens causa dispensandi in hoc?

Respondet affirmativè, Hurt. *loc. cit.* *resol.* 6. q. 2. n. 14. ubi ait: Præpositus ad e. per venerabilem, qui filii sint legitimi, Felin. & alii, quos ibidem citat, dicunt, quod ipsa liberalitas Papæ sit sufficiens ratio dispensandi contra jus, juxta c. cum vestis. de concess. *præb.* ubi dicitur ex indulgentia specialis, vel alia justa causâ; quæ doctrina non solum tenet in relaxatione juris divini, cum liberalitas maxime deceat principem ex ipsa ratione naturali. ita ille.

Questio 79. An etiam Episcopus, aut etiam Legatus à latere Papæ possit dispensare in pluralitate beneficiorum, saltem simplicium, existentium in diversis Ecclesiis, quorum unum sufficiens est, dum adest aliis justa causa disponendi?

1. Respondeo ad primum negativè: idque etiam si habere aut conferre istiusmodi plura non esset lege naturæ vetitum; patet hoc ipsum ex Trid. quod uti & jus commune, laxare non potest Episcopus, nisi in causis ipsi in jure concessis. Castrop. *d.* 6. p. 3. s. 6. n. 28. Azor. *cit.* c. 12. q. 6. Pirh. *ad tit. de præb.* n. 182. Hurt. *loc. cit.* *resol.* 6. s. 1. n. 20. citantes Abb. in c. de multa. Garc. p. 11. c. 5. n. 371. & 169. citans quàm plurimos alios. Less. *de just.* l. 2. c. 34. n. 150. (ubi dat rationem cur Episcopus, etiam si